Cardinalitia Quaestio agitanda in scholis Medicorum Die Jovis 24ª Aprilis.

M. Christophoro Baudouyn Moderatore.

An Dolori sedando sola Anodyna satis?

Dolor naturalium functionum eversor, teterrimus hostis omnes quinque sensus, sed gravius tactum, nec sine corporis opera fatigans, partibus omnibus sensu (eius enim nervi omnes sunt auctores et participes) praeditis non aliis contingit, qui ut pars quaeque exquisitius sentit, ita vehementiori obiecto pulsatur, ita saevit atrocius: pueris tamen et mulieribus quam viris infestior: morbi qui sit, non iam facti comes, et corpus cacochymum aut plethoricum nactus longum situm malorum agmen trahit, fluxiones, inflammationes, vigilias, febres, convulsiones a quibus pueri minus intereunt, lipothymiam, syncopen excitat, vires dejicit(?); imo sibi saepe prohibet duas partes simul si invadit, maior alterum obscurat.

Huius causae, intemperies, non quaevis, sed quae confertim et vehementer irruit, et ea magis solutio continui ab internis externisque causis, quo fit ut ab intemperie sicca humida non fiat. A calida saevius urget, sed citius mansuescit: a frigida levius sed contumacius affligit. Eius species tum horrores qui dum abscedunt utramque partem molestant, tum partes affectas nunc per idiopathiam, alias per sympathiam dolentes ostendunt: a bile acri et erodente, a sanguinis, humorumque frigidorum copia gravante, a spiritu fervidiore pulsante; a flatu distendente qui si parti proprius est continuus aut periodicus, si per consensum alterius partis affectum comitatur.

Partes etiam affectas a quibus sibi nomen adoptant, ut Cephalalgia, Cardialgia, Odontalgia demonstrant, pulsatorius enim arterias, partesque sibi vicinas in quibus quo maior tensio ut in phlegmone, eo dolor acerbior, quam in Erysipelate: punctorius omnium saevissimus, membranas ut in pleuritide quae intentae alii profluvium produnt. profundus partes intimas ut osteocopos, gravis et obtusus viscera, qui si fixus sedem et lumbos aut vertebrarum situm occupat non semper nephriticus. Singulas tamen partes a variis causis lacessitas varios dolores perpeti, quibus quantum differant aequi discendum ut dignoscendo, praedicendo, curando nihil peccetur.

Variis doloribus diversa remedia, anodyna, evacuantia, narcotica, illa tenuium partium et symmetria paulo calidiora adstrictionis expertia dolorem leniunt, aut etiam affectum curant: frigida quidem accommodatiora et calidis ipsis, lenioribus non inutilia. at graviores dolores contrariis oppugnandi, sic ambustorum dolores quae calfaciunt, non minus quam refrigerantia mitigant, calidi tutior et crebrior usus quam frigidi. qui ab humoris copia aut qualitate fiunt evacuationem imprimis exposcunt per sanguinis detractionem revocando ad longinqua, in aliis evacuando ad animi quidem deliquium: per purgationem vero si magis cacochymia premit per loca consentanea quas pars affecta et motus humoris ostenderint.

Praeter haec, propria cuiusque partis evacuatio. Clysteres in colico affectu et dysenterico: a quo nephriticus plurimum juvatur. Errhinis apophlegmatismis in Cephalaea: Digerentibus, Balneis, fomentis in partu qualibus: sive ex hydrargyro in venereis, guaiacique decocto. Epispasticis in dysenteria, et dysuria pugnandum. Doloribus a flatu commoda Cucurbitula, ventris hisce remediis, spes est in Narcoticis quibus parce et caute utendum, partis dolentis substractio, frictio, sectio nonnunquam molienda, in quibus velocitas et tarditas aequaliter laudem merentur. et eidem parti non semper idem remedium. Dolores enim oculorum modo potio aut fomentum aut balneum aut sanguinis missio aut purgatio solvit.

Non ergo Dolori sedando sola Anodyna satis.

Deffendebat Joannes Cothillon Lingonensis, Lutetiae A.R.S.H. M.D.LXXIII.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE